


N E C R O L O G I A

† Adm. R. P. Ioannes B. Charbonnier (1863-1938)¹

(Prov. Lugd.)



Die 15 Sept. 1938, festo VII Dolorum B. M. V., sodalis Instituti vere eminens, Superior domus S. Stephani, annum agens septuagesimum sextum, a Domino vitae mortisque ad mercedem recipiendam vocatus est. Huius vitae quindecim menses ultimi non fuerant nisi «crux et martyrium», sed in mediis suis doloribus defletus confrater eo clarius virtutem suam heroicam demonstrabat. Ipse quandam hoc tempore patri suo spirituali confessus est se ne momento quidem veram animi defectionem sensisse. Et interrogatus: «Accepisne etiam passiones ulteriores?» «Ita quidem», inquit; «accepto quaecumque Iesus et Maria voluerint. Durum quidem est, sed dummodo *illi* adsint, quid refert?»

Ut erat Deiparae cultor eximius, haec dulcis Mater ei morienti fuit, sicut in quodam cantico suo exoptaverat:

Rayon du ciel au dernier de mes jours!

Hoc sensu licet explicare factum sequens: Paucis ante obitum horis P. Charbonnier oculos per horae quadrantem defixit in quadam imagine Dominae N. de Perpetuo Succursu. Oculi erant large aperti et per pulchri, cilia autem omnis motus expertia. Tum oculos clausit, intrans in silentium mortis.

Ultimum Sacrum dilectus confrater litaverat octavo ante obitum die, festo Nativitatis B. M. V., et in cubiculo quidem, vigore peculiaris privilegii S. Sedis; qua Missa finita hic vir adeo cautus et consideratus pro certo affirmaverat: «Deus mihi dixit me fini vitae proximum esse». Veridicatum effatum probavit eventus.

Ioannes B. Charbonnier natus est Lugduni d. 6 Mart. 1863 parentibus e Delphinatu et Alpibus oriundis, sed paucis post diebus Valentiam (*Valeance*) translatus est. Admodum iuvenis ad Congregationem inter primos iuvenistas Provinciae Gallico-Helveticae a Deo vocatus, vota religionis emisit

¹ Cfr. *L'Apôtre du Foyer* 33 (1938), 313-316; *Le Mémorial* (St.-Etienne), 16 et 18 Sept. 1938.

d. 24 Sept. 1883 et d. 6 Oct. 1888 sacerdotio auctus est. Itaque hoc anno, recurrente eodem die, aureum sacerdotii iubilaeum celebrasset.

Absolutis cum successu studiis missionali vitae a Superioribus destinatus, totam fere Galliam evangelizavit, et tanto quidem cum fructu, ut R. P. Wilpotte, iudex hac in re certe competens, non dubitarit eum appellare *un missionnaire accompli entre tous*. In missione Nanceiensi ipse Episcopus Illīmus Turinaz semper adesse volebat (licet clam, ad evitandam catechistae perturbationem), quoties P. Charbonnier parvulos doctrinam christianam *sua* methodo ingeniosa atque iucunda edocebat. Verum cuiusvis condicionis auditoribus hic missionarius egregius placebat.

In civitate populosa atque industria S. Stephani, cum sodales a SS. Redemptore a. 1897 generalem praedicarent missionem, quam adhuc hodie ibi quaedam crux magna recordatur, P. Charbonnier in paroecia S. Caroli singulares suas dotes oratorias explicavit. Convenienter igitur ipse quoque inter illos nostratium fuit qui d. 25 Mart. 1900 in eadem urbe sedem stabilem fixerunt, et ibidem permanxit usque ad mortem, ergo duodecaginta annos continuos. Praefuit quoque, cum S. Sedis venia, per multa triennia continua huic communitati, amatus a subditis, quippe qui ipse subditos amore vere paterno prosequeretur, non quaerens quae sua erant, sed alios iuvare solarique satagens.

Cum ineunte a. 1901 in eadem civitate S. Stephani prima vice prodiit periodicum *L'Apôtre du Foyer*, ad conservandum in familia christianum spiritum, in hoc negotio P. Charbonnier, teste necrologo supra citato, fuit principaliter agens (*cheville ouvrière*), postea autem per annos plurimos commentarii moderator et quasi anima. Continuat ergo ope huius periodici post mortem apostolatum suum.

Idem facit eo quod fuit auctor princeps libellorum valde diffusorum *Manuel de la Supplique à Notre-Dame du Perpétuel Secours et Neuvaïne efficace à Notre-Dame du Perpétuel Secours*, necnon eo quod composuit (possidebat quippe poëtae musicique dotes) versus musicamque complurium canticorum, quae iam diu in Supplicatione Mariali et in missionibus a populo cantantur.

Idem valet de parte illa permagna, immo praeponderante, quam habuit in condendo novo Instituto Sororum Iesu Redemptoris et Mariae Medicis, cuius domus matrix in Saint-Didier-en-Velay invenitur.

Ad continuandam augendamque propriae familiae vitam approbante et adiuvante suo Superiore Provinciali condidit S. Stephani iunioratum seu parvum iuvenatum, *Nazareth* nuncupatum, qui valde ei cordi erat. In ultima sua infirmitate gravissima cupiebat quidem, ad exemplum Apostoli, *dissolvei et esse cum Christo*; at si Deus ei vitam longiorem dedisset, libentissime eam huic hortulo spirituali colendo dedicasset, et valde do-

lebat quod valetudinis statu impediebatur, quominus iuvenistas e fériis reversos in cubiculo suo reciperet.

Mortuo P. Charbonnier, cum corpus exanime digne expositum iaceret et d. 17 Septembris ad sepulturam deferretur, clare apparuit quam carus esset hic Redemptorista eximius urbis civibus aliisque plurimis. R. I. P.